



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Dispvatio XXV. De Ideis divinis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

DISPUTATIO XXV.

De Ideis Divinis.

MULTVS apud antiquos de Ideis sermo: de iis fusc Plato, & ante Platōnem Socrates disputavit: imò, ut testatur S. Augustinus Tom. 4. lib. 83. Questionum, quæst. 46. tantam vim in Ideis prisca illi Philosophi posuerunt, ut, ipsorum iudicio, nisi iis intellectis, sapiens nemo esse posset. In quam rem, celebre est dictum illud Platonis, illum, qui Ideas contemplatur, victurum esse Deum inter homines. De his proinde multa hoc loco inquirere solent Theologi, quæ obiter pro instituto discutimus.

SECTIO PRIMA.

An sint, & quid sint Idea divina.

I. Idea in Deo reperiri, omnino certum est.



ART in Deo Ideas, constans est omnium opinio, idque sacri juxta ac prophani Auctores unâ voce testantur. Quam proinde sententiam post S. Dionysium de Divin. Nom. cap. 5. & S. Augustinum proximè citatum, amplectuntur Theologi omnes cum S. Thomâ hic, q. 15. art. 1. Ex Philosophis verò, præter Platonem & Socratem citatos, idem docet Seneca Epist. 65. ad Lucilium. Imò S. Augustinus loco citato, & lib. 1. Retract. cap. 3. existimat Platonem, per mundum intelligibilem, & formas illas separatas, aliud nihil intellexisse, quam Ideas in mente divinâ existentes. Quâ de causâ, non pauci putant, estque sententia P. Vafq. hic, Disp. 71. cap. 1. Aristotelem hanc Platonis sententiam parum fideliter retulisse, gratiamque hac in re præceptoris suo fecisse injuriam.

S. Augustini de Platonis sententia iudicium.

II. Ratio est, quia omnis artifex exemplar semper aliquod sibi ob oculos ponit, quod imitetur.

Ratio pro hujuscemodi Ideis in Deo statuendis est: omne quippe agens intellectuale, in iis quæ artificiosè ac liberè producit, exemplar sibi semper aliquod, seu formam proponit, in quo mentis oculos figat, ut ad illius imitationem ac similitudinem, rem ipsam efficiat, alioqui in incertum tenderet, & non rationali modo opus exequeretur. Deus ergo, agens intellectuale cum sit omnium perfectissimum, & artifex longè præstantissimus, ut sapienter operetur, hujusmodi sibi objicere formam debet, quam imitetur & exprimat, ejusque intuitu, rem quam molitur, eo quo par est modo efficiat, & ad perfectionem debitam perducat.

III. Idea sunt formæ quædam, seu rationes quæ Deus in operando imitatur.

Hæc autem exemplaria seu formæ sunt, quæ à Patribus appellantur Ideas, seu rationes, quas Deus in operando imitatur. Ad quam rem appositè S. Augustinus libro illo 83. Questionum, quæst. 46. Ideam idem esse docet quod formam vel rationem, atque non eandem esse rationem hominis & equi, sed singula propriis esse creata rationibus; ac demum addit, nisi Deus juxta has Ideas seu rationes, creaturas omnes produceret, ipsum irrationabiliter operaturum. Malè ergo Philo Judæus in libro de Cherubin, & alibi sæpè, Ideas dicebat, non esse hujusmodi formas seu exemplaria, sed quasdam Potestates, à Deo distinctas, eumque veluti satellitio quodam cingentes.

IV.

Præcipua verò hæc in re difficultas, maximèque

inter Theologos controversa est, num Idea sint aliquid in Deo existens, & cum eo identificatum, an res potiùs creata, extra Deum existentes, eique objectivè propositæ, ut illas intuendo, ad earum imitationem creaturas efformet.

Prima sententia est Scoti in 1. d. 35. quæst. unicâ, Ockami ibidem quæst. 5. Gabrielis quæst. 5. art. 2. Durandi d. 36. q. 3. quam etiam sententiam probabilem censet Major in 1. d. 35. q. 1. eamque problematicè disputat Richardus ibidem art. 2. quæst. 2. Eandem tenet Arriaga hic, d. 23. f. 4. & alii plurimi, Ideas hæc dicentes esse ipsas creaturas secundùm esse earum possibile à Deo ab æterno præconceptas, quas hoc modo cognoscendo per eas veluti exemplar quoddam ad illarum efformationem dirigitur. Quæ sententia, meo iudicio, nec ratione, ut innox videbimus, nec auctoritate est destituta. Non rectè ergo Bannez hanc Scoti sententiam, qua creaturas ait secundùm esse diminutum ab æterno à Deo cognosci, esse parum fidei consentaneam. Immeritò, inquam, hæc ei censura inuritur; per esse enim diminutum nihil aliud intelligit Scotus, quam esse cognitum, seu quòd terminet intellectum & scientiam divinam, ut latius ostendi Disp. 18. Logicæ, sect. quartâ.

Sicut Idea aliquid in Deo, an quid possit creaturam.

V. Prima sententia vult Ideas esse quid à Deo distinctum.

Suadetur verò hæc sententia primò: Idea enim, seu exemplar, juxta Philosophos, est illud ad quod respiciens artifex operatur: hinc Aristoteles 1. Met. cap. 7. tex. 32. hoc modo exemplar definiit: Exemplar, inquit, est illud, in quod operans inspiciendo operatur. Quod similiter docet Seneca Ep. illâ 65. citatâ. Ad quam rem etiam facit illud, quod Moyli circa tabernaculi fabricationem dictum est Exodi 25.

VI. Rationes variæ ad ostendendum, creaturas ipsas esse Ideas, seu exemplaria.

fine: Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est. Secundò: cum enim ad hoc Idea seu exemplar, secundùm omnes, deserviat, ut artificem in rei cujusque efformatione dirigat, nihil ad hoc aptius esse potest, quam res ipsa objectivè concepta, utpote in qua partes omnes perfectissimè relucent; quam proinde ad amissim quisquis imitatur, & quæ in eâ cernit lineamenta, exactè effingit, nec per excessum peccabit, nec defectum, sed opus sibi præfixum numeris absolutum omnibus efficiet. Hinc communis hodie Theologorum sententia docet, scientiam simplicis intelligentiæ esse causam rerum; per quam scilicet Deus res possibile cognoscens, ex his eorum prædicatis representatis, & objectivè in ejus mente existentibus, dirigitur ad eas suo quamque exemplari per hanc scientiam cognito conformiter producendas.

Ex muneribus Ideas ostendunt esse eam quid à Deo distinctum.

M 4

Tertio

VII.
Et modo se
habet Idea
in intellectu,
quo finis in
voluntate.

VIII.
Secunda
sententia
Ideas affer-
ri esse ada-
quata Deo
intrinsicis.

IX.
Sancti Pa-
tres Ideas
ponunt Deo
intrinsicis.

S. Augustin⁹
S. Dionysius
S. Damascenus.

X.
Ratio cur
Ideas esse de-
beant Deo
intrinsicis.

Tertio: eo modo se habet exemplar seu *Idea* respectu intellectus, quo finis respectu voluntatis; ut enim hic movet ad appetitionem, ita illud dirigit ad imitationem sui: sicut autem in fine, non cognitio, sed bonum ipsum cognitum movet & allicit, (cognitio enim non omnino appetitur) ita in exemplari, non actus illud representans, sed res ipsa representata dirigit, utpote quæ sola proponitur imitanda, quamvis non minus requiratur cognitio, ut exemplar dirigat, quam ut finis moveat. Sicut ergo finis, non subjective, sed objective tantum est in intellectu, ita & exemplar. Nonnulli tamen volunt, *Ideam*, seu exemplar, non esse rem ipsam quæ facienda proponitur, mente conceptam; sed aliam, quam nobis representamus, & ad eam imitationem rem illam, quam facere intendimus, effor-

Secunda sententia affirmat, non rem ullam extra Deum, adeoque nec creaturas objective in mente divina existentes, esse *Ideas*, seu exemplaria; sed ait, hæc esse quid Deo intrinsicum, ipsamque Dei essentiam, vel cognitionem, prout ad creaturas terminatur, easque ut factibiles representat, sicque *Ideas* asserit esse quid increatum. Ita S. Thomas 1. p. q. 15. a. 1. præcipue ad 3. & ar. 2. corp. & ad 1. & alibi sæpè: S. Bonav. in 1. d. 35. q. 1. Alensis 1. p. q. 23. mem. 4. a. 1. Capreolus in 1. d. 35. & 36. Henricus quodl. 9. q. 2. Cajet. 1. p. q. 15. a. 1. ubi etiam idem docent plerique ex Thomistis, Ferrara 1. cont. Gen. cap. 54. Suarez hinc lib. 3. cap. 5. n. 6. & Disp. 25. Metaph. sect. 1. Vasquez 1. p. d. 71. cap. 2. Granada hinc, tract. 7. Disp. 1. num. 6. Tannerus 1. p. Disp. 2. q. 9. dub. 1. num. 4. & alii.

Et sanè negari nequit hanc esse communem sanctorum Patrum sententiam, qui *Ideas* rerum dicunt esse æternas, improductas, immutabiles &c. Sic enim imprimis loquitur S. Augustinus lib. 83. qq. q. 46. *Idea*, inquit, sunt principales quædam forme, vel rationes rerum stables, atque incommutabiles, quia ipse formata non sunt, ac per hoc æternæ, ac semper eodem modo se habentes, quia divina intelligentia continentur. Sed cum ipse neque oriuntur, neque intereant, secundum eas tamen formari dicitur omne quod oriri & interire potest, & omne quod oritur & interit. Et tract. 1. in Joannem, verba illa, Quod factum est, in ipso vita erat, explicat, quatenus scilicet in Deo est per *Ideas*: sic enim ait, illud esse ipsam vitam, & rationem increatam sapientie Dei, que est vita per essentiam. Idem docet S. Dionysius, S. Damascenus, & alii, qui videri possunt in auctoribus citatis.

Ratio denique est: ipso facto enim quod artifex hac cognitione sit instructus, habeatque actum intellectus quo sibi opus faciendum representat, nihil ei deest ad artificiosam rei efformationem; sed per hanc cognitionem dirigitur ad eam sine erroris periculo producendam: ergo influit suo modo in rei effectiorem, sicque nihil ipsi deest ad rationem *Ideæ*, & exemplaris.

SECTIO SECUNDA.

Resolvitur questio circa *Ideas*, sint necne quid adequatè Deo intrinsicum.

I.
Idea forma-
lis & ob-
iectiva inti-

EGO, ut quid hac in re sententiam, declarem, existimo ambas hæc inter se conciliari sententias posse, & dici utramque *Ideam*, tam forma-

lem scilicet, quam objective, unum exemplar *Ideam*, seu *Ideam*, seu *Ideam* totale. & in suo genere ad artificis directionem & effectiorem operis concurrere, nec *Ideam* formalem seu actum intellectus, alio modo ad hoc deservire, nisi in quantum representat & proponit *Ideam* objective, seu rem faciendam, quam artifex intuendo, ex ea tanquam prototypo, ac veluti regulâ, ad illius productionem dirigitur. Nec ergo objectum sine cognitione, nec cognitio sine objecto quidquam facit, sed utrumque suo modo, objectum ut quod, cognitio ut quo, ad rei effectiorem concurrunt, eâ fere ratione qua supra num. 7. diximus de fine. Patres verò loquuntur tantum de *Ideâ* formali.

Solum noto, auctores secundæ sententiæ supra numero octavo posita, in modo eam defendendi esse divisos: plerique enim aiunt, cognitionem divinam, ut directe tendit in creaturas, esse earum *Ideam*: alii verò, ut Cajetanus hinc, a. 2. Ferrara citatus, Bannez 1. 2. q. 15. a. 1. & Molina hinc, a. 1. Disp. 2. asserunt Essentiam Divinam, non ut cognitio est, sed ut à se reflexè est cognita imitabilis à creaturis, esse *Ideam*. Sed contra hoc postremum est; Deus enim, eo ipso quod ejus cognitio tendat in res possibles, habet earum *Ideas*; ex illâ namque cognitione potest perfectè ad earum productionem dirigi.

Deinde *Ideas*, seu exemplar, ejusmodi esse debet, ut non aliqua tantum rei faciendæ in se prædicata contineat, sed omnia; alioqui per illud cognitum dirigi nequit artifex ad perfectam rei illius efformationem; nec enim plus ex vi exemplaris efficere potest, quam in exemplari relict: in Deo autem particulares creaturarum rationes, equi scilicet, leonis, lapidis &c. ut supra Disp. 6. sect. 3. ostendi, formaliter non inveniuntur, sed generalia tantum quædam rerum prædicata, Entis nimirum, aut substantiæ, & alia quædam, Deo cum creaturis communia: ergo Deus merè intuendo suam Essentiam, ut imitabilem à creaturis, dirigi nequit, nisi ad prædicatum Entis, vel substantiæ, in his producendum; in his enim solis Deus, à creaturis, saltem inanimatis, est imitabilis; imò à nullâ omnino creaturâ est quoad omnia quæ in rebus creatis continentur, imitabilis, cum, ut dixi, particulares rerum creaturarum rationes in Deo non reperiantur.

Quòd si quis ideo velit Deum esse *Ideam* creaturarum, quia illas videt in suâ Omnipotentia: hoc est conti à rationem & conceptum exemplaris, quòd nimirum ut similitudo objective dirigere debet ad rei effectiorem, potentia autem rerum productiva (in causis præsertim æquivocis, qualis est Omnipotentia divina respectu creaturarum) est rebus per eam producendis dissimilima. Unde nullus unquam dixit, Cælum esse *Ideam* metallorum, quamvis in se virtutem contineat eorum productricem.

Non tamen negaverim, quando Deus in suâ Omnipotentia cognoscit creaturas, has etiam hoc modo cognitâs esse *Ideas*, seu exemplaria objective: nec enim ut aliquid sit exemplar, requiritur ut cognoscatur immediate; quæcunque enim ratione cognoscatur, modo cognoscatur perfectè, dici potest *Idea*, cum artificem ad sui efformationem possit dirigere: at secundum S. Augustinum, ut supra vidimus, melius & perfectius cognoscuntur creaturæ in *Creatrice Essentia*, quam in seipsis: ergo hoc modo cognitæ dici possunt *Ideæ*.

Nec pro hac sententia facit, quod ad illius confirmationem à nonnullis adducitur ex Genesis capite primo, ubi dicit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*: cuius primò

Diversi modo ad opus concurrunt *Ideæ* formales, & objectivæ.

II.
Duplex *Idea* deservendi, *Idea* esse Deo intrinsicis.

III.
Dei omnia rerum creaturarum perfectiones in se formaliter non continent, sicque efficiuntur earum exemplar.

IV.
Dei omnia *Ideæ* creaturarum, prout in eum Omnipotentia relict.

V.
Creatura tamen in Omnipotentia à Deo cognita dicitur per suam *Ideam*.

VI.
Quis scilicet homo factus sit ad similitudinem Dei primò

primò enim hoc ad summum probaret, Deum, non aliarum rerum, sed unius hominis esse *Ideam*, cum de solo homine dicitur, eam factum esse ad similitudinem Dei. Deinde, neque hoc probat: ut enim aliquid respectu alterius sit exemplar, seu *Idea*, non sufficit quæcunque similitudo, sed talis, ut omnia rei faciendæ prædicata per eam exprimantur, ut num. 3. ostensum est: multa autem prædicata hominis, ut corpus, animal, &c. in Deo non reperiuntur.

SECTIO TERTIA.

Inquiruntur quædam circa naturam Idearum.

I. **Q**UÆRES primò, utrum in Deo sint plures *Ideæ*? Respondetur, *Ideas* objectivas esse realiter plures: sunt enim, ut dixi, res ipsæ possibiles cognitæ, quæ inter se distinguuntur. *Ideæ* autem formales sunt realiter idem, cognitio scilicet divina, quæ indivisibilis est, utpote cum Deo identificata, & ipse Deus.

II. **D**icuntur tamen plures, quia sunt prædicatæ, & peculiariter ad rerum effectiorem ordinatæ, quæ cum producantur singulæ, & una distincta sit ab aliâ, singulas etiam habere dicuntur *Ideas*, illam scilicet divinæ scientiæ partem, ut ita dicam, seu formalitatem, quæ unicuique correspondet. Quo sensu dixit S. Augustinus loco sect. 1. num. 3. citato, non eandem esse rationem hominis & equi, sed singula propriis esse creatura rationibus. Et hanc ob causam, dicimus potius esse in Deo plures *Ideas*, quam plures scientias, quamvis in rigore æquè dici posset in Deo esse plures scientias ratione nostrâ, ac plures *Ideas*.

III. **Q**uæres secundò: quantum rerum habeat Deus *Ideas*? Respondetur, omnium omnino quæ produci possunt, quantumvis sint exiguæ. Dicit tamen non incongruè potest, quod hic advertit S. Thomas a. 3. *Ideam* nempe compositi, omniumque in eo contentorum, accidentium scilicet, modorum, &c. vocari posse *Ideam* totalem, ex variis *Ideis* partialibus, rebus scilicet, quæ compositum illud complent & constituunt, respondentibus; ita ut una sit *Idea* partialis materiæ, alia formæ, alia unionis, alia hujus, alia illius accidentis &c. Sicut enim illa omnia unum integrant compositum, ita hæc unam integrant compositam *Ideam*. Universalium verò non habet Deus *Ideam*, cum illa non faciat, sed sola singularia.

IV. **P.** Granado hic, tract. 7. Disp. 4. num. 7. ait Deum non habere *Ideam* materialis peccati; *Idea* enim, inquit, est causa rei cuius est *Idea*, Deus autem, materialis peccati nequit esse causa. At quicquid sit de nomine *causæ*, communis est Theologorum sententiæ, Deum ad materiale peccati, physicè unâ cum voluntate creatâ concurrere; hoc autem sufficit, ut dicatur habere illius *Ideam*. Imò, ut ostendi Disp. 29. Phys. præcipuè sectione 2. & 5. S. Thomas, & Theologi communiter dicunt, Deum, ut causam universalem physicè ad materiale peccati concurrere. Idem existimo de errore, habitu vitioso, & similibus, Deum scilicet horum omnium habere *Ideas*, utpote ad quarum productionem, physicè similiter concurrat.

V. **Q**uæres tertio: utrum Deus habeat *Ideam* negationum & privationum? Negat P. Granado citatus num. 8. quia nullam habent negationes existentiam, circa quam exerceri possit causalitas extrin-

plaris: quæ de causâ dicunt omnes, Deum non habere *Ideas* entium rationis. Alii tamen asserunt habere Deum *Ideam* negationum & privationum, cum ab eo fieri aliquo modo possint; in Ægypto enim, & in morte Christi, destruendo lucem, causavit tenebras, & in universali Orbis diluvio homines & animalia tollendo; eorum aliquo modo fecit negationes, illorumque loco substituit.

VI. **Q**uæres quinto: habeatne Deus *Ideas* Verbi Divini, & Spiritus Sancti. Communis hac in re sententiæ est negativa: Patres siquidem & Theologi, dum de *Ideis* loquuntur, eas semper in ordine ad creaturas, resque extra Deum existentes explicant: eorum autem communi vocis hujus usurpationi, cum quæstio magnam partem sit de modo loquendi, multum est tribuendum.

VII. **M**alè tamen Barnez hic, art. 1. Concl. 5. & Zuzmel q. 2. concl. 7. temerarium esse dicunt, vel etiam fortè errorem, aut errori proximum; asserere, Deum habere *Ideam* Verbi divini, & Spiritus Sancti; quòd scilicet *Idea* denotet causam, in divinis autem ad intra non datur causa, sed tantum Principium. Hæc, inquam, ratio infirma est ad tam gravem censuram opinioni alicui inurendam; *Idea* siquidem juxta omnes ad hoc tantum requiritur, ut operantem ad rei alicujus effectiorem dirigat; in hoc autem conceptu non involvitur vera causalitas. Ob auctoritatem igitur magis, quam rationem, tenendum est, Deum in operationibus ad intra non habere *Ideam*.

VIII. **Q**uæres quarto: Utrum si Deus, non liberè, sed ex necessitate naturæ operaretur, & creaturas produceret, dici posset habere earum *Ideam*. Negat S. Thomas q. 3. de verit. a. 1. corp. ubi conceptum *Ideæ* in eo situm esse ait, ut quis ex consilio operetur, & finem sibi liberè præscribat: quæ de causa S. Dionysius de Div. Nom. cap. 5. *Ideas* vocat prædestinationes & bonas voluntates. Unde nonnulli hoc nomine Deum negant habere *Ideam* Verbi divini, & Spiritus Sancti, quòd eorum productiones non sint liberæ. Alii nihilominus ad rationem *Ideæ* non requirunt, nisi ut agens intellectuæ per illam ad opus aliquod efficiendum dirigatur, sive opus illud liberè exequatur, sive necessariò. Sicut si pictor aliquis in amentiam incideret, & jam non compos sui, imaginem scitè delinearet, haberet, inquam, imaginis illius *Ideam*.

IX. **M**ihi modus loquendi S. Thomæ videtur congruentior, & notioni *Ideæ* conformior: ut enim quis per *Ideam*, seu ex arte operetur, præfigere sibi debet finem, atque ex electione quadam menti proponere exemplar, animo illud imitandi, & ex ejus directione opus intentum ad perfectionem perducendi: quod innuere videtur libertatem, atque ut quis mentis compos sit, & operationis suæ dominus: alioqui cur simias non dicimus operari per exemplar; dum operationes hominum intuentes, easdem gestibus suis exprimunt? Dices, quia non sunt agentia intellectuæ. Contra: secundum illam sententiam perinde est esse vel non esse agens intellectuæ, ut quis rei alicujus habeat *Ideam*, & operetur per exemplar: quid enim refert esse agens intellectuæ, nisi intellectuæ, seu rationali modo, hoc est, liberè & cum electione operetur. Unde, sicut hi auctores ad rationem *Ideæ* & exemplaris negant requiri libertatem, ita alii asserunt non requiri intellectum, sed sufficere imaginationem, sicque bestias dicunt operari per exemplar. Quare dico pictorem illum in statu amentia non operari proprie per exemplar, nec habere in rigore imaginis illius *Ideam*.

VI. *Sine in Deo Idea Verbi, & Spiritus Sancti.*

VII. *Idea non necessario denotat veram causalitatem.*

VIII. *An, ut quis dicatur habere Ideam, requiratur ut operetur liberè.*

IX. *Probabilius est, ad Ideam requiri libertatem in operando.*

Vitiosus ostenditur ad rationem Ideæ requiri libertatem.

Quæres

X.
Idea divina
sunt ratione
nostra infi-
nita.

Quæres quintò, quot sint divinæ *Ideæ*? Res-
pondetur, *Ideas* formales, ut supra dixi, non esse
plures, sed realiter loquendo, unicam tantum in
Deo esse rerum omnium *Ideam*, ipsam scilicet ejus
cognitionem, per quam res omnes indivisibiliter
representat. Ratione tamen nostrâ sunt infinitæ,
tot scilicet quot sunt *Ideæ* objectivæ, seu res per
scientiæ practicæ directionem à Deo producibiles:
ita Suarez hic, lib. 3. de Attrib. cap. 5. num. 14.
Granado 1. parte, tract. 7. disp. quintâ, num. 2.
& alii.

Quæres sexto, quomodo differant *Ideæ* & exem-
plar? Ut plurimum sumuntur promiscuè: dici tamen
posset, *Ideam* spectare res pure possibili, seu quæ de
facto, nunquam producerentur, ac proinde esse scienti-
am ad res producendas, in actu primo directricem.
Exemplar verò est scientia Dei prout refertur ad res,
non pure possibili, sed actu in aliqua temporis dif-
ferentiâ faciendas, ad eas scilicet, ad quas pro signo
posteriori terminatur scientia visionis. Quod po-
stremum docere videtur S. Thomas hic, q. 15. a. 1.
Et hæc de *Ideis*, & Scientia Dei sufficiant.

XI.
Idea & ex-
plar quomodo
differant.

DISPUTATIO XXVI.

De Divinâ Voluntate.

RECTVS doctrina ordo postulat, ut tractatui de Scientia Dei, tracta-
tum de ejusdem Voluntate subjiciamus, quedamque circa illam, ut de
Scientia fecimus, inquiramus. Ejus itaque inprimis naturam investigabimus;
quæ cognitâ, haud difficilis ad alia, quæ in eâ reperiuntur, erit progressus.
Quibus tamen examinandis eò minùs necessarium erit diutiùs insistere, quòd
non pauca ad eam spectantia, in Tractatu de Scientia, ob magnam inter utrâm-
que hanc facultatem connexionem, sint discussa. Primò autem de necessariâ
Dei Voluntate, mox de liberâ agemus: qua questione nihil in totâ Theologica-
rum Disputationum serie difficilior.

SECTIO PRIMA.

Præmittuntur quedam circa Volun- tatem Divinam.

I.
Auctoritate
ostenditur,
dari in Deo
voluntatem.



SUPPONENDUM inprimis tanquam
certum cum S. Thoma hic, quaest. 10.
art. 1. dari in Deo voluntatem: quod
probatione non indiget, tum quia
Scriptura passim de Dei voluntate
mentionem facit: sic Regius Prophe-
ta Psalm. 113. v. 3. *Omnia, inquit, quæcumque voluit
Dominus, fecit in celo, & in terra.* Omnia etiam
dicuntur in voluntate Dei posita esse. Unde Apostolus
ad Rom. 12. v. 2. ait: *Ut probetis quæ sit voluntas Dei, &c.*

II.
Idem variis
rationibus
fundatur.

Ratio etiam naturalis id ipsum suadet, voluntas
siquidem est perfectio simpliciter simplex, & con-
sequenter Deo non neganda. Deinde, vel ipso natu-
ræ instinctu homines ad Deum, semper in suis
necessitatibus recurrunt, ejusque auxilium implo-
rant: Omnibus ergo à natura inditum est, ut exi-
stiment Deum velle iis opem ferre, alioqui hoc
frustrâ facerent. Tandem Deus est laude omni ex
parte dignissimus, non naturali tantum, seu ob
summam naturæ ejus excellentiam; sed etiam mor-
ali, quæ nimirum debetur actibus moralibus seu
liberis: hi autem, sicut & sanctitas, sine voluntate
non consistunt.

III.
Diversi in
Deo ratione
nostrâ dan-
tur volun-
tatis actus.

Deinde, sicut in Scientiâ Dei plures actus supra
distingimus ratione nostrâ diversos, ita plures
etiam voluntatis actus considerare in Deo possu-
mus, tum prosecutionis, ut amorem, complacen-
tiam, &c. tum fugæ, ut odium, detestationem, &
alios hujusmodi, quos circa objecta creata habere
Deus potest.

Ulterius, Deum amore saltem latè sumpto,
amare seipsum, tanquam certissimum docent om-
nes Theologi: & ratio videtur manifesta, cum Deus
sit objectum perfectissimû, & amore dignissimum,
utpote bonitatis simpliciter infinitæ, & alioqui non
foret perfecte beatus; ad hanc enim spectat amor
& fructio summi boni. Amor ergo Dei respectu
ipsum est necessarius, idque non quoad specifica-
tionem tantum, seu quòd non possit se odisse, cum
nihil in se cernat mali, sed quoad exercitium; Deus
siquidem, bonum infinitum cum sit, idque in omni
bonitatis genere excogitabili, rapit ad se necessa-
riò suam voluntatem, nec ab amore sui cessare
illo pacto potest.

IV.
Inprimis
Deus amat
seipsum.

Amor, qui
Deum amat
se, est neces-
sarius.

Dici verò nequit hic amor liber, nisi per amo-
rem liberum intelligatur spontaneus, seu liber à
coactione: quo sensu intelligendi sunt Scotista,
dum dicunt Deum amare seipsum liberè, nempe
amore libero à coactione. Quo etiam modo di-
cunt, Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio
liberè; quamvis sit impropria locutio, cum libertas
simpliciter seu absolute dicta, sit libertas à necessi-
tate; quo sensu certum est nec Deum se amare, nec
Patrem & Filium producere Spiritum Sanctum li-
berè, cum sit objectum infinitum, infinite attra-
ctivum, & applicativum infinitè. Eò autem minùs
congruus est ille loquendi modus, quòd in Bulla
Pii V. & Gregorii XIII. contra Michaëlem Baïum,
censuretur hæc illius propositio 39. *Quod voluntariè
fit, licet necessitate fiat, liberè tamen fit.* Deus ergo
spontaneè, voluntariè, ultro se amat, id est, in-
finito quodam pondere & inclinatione naturæ, &
consequenter immunis est ab omni coactione &
violentiâ; necessariò tamen se amat, ita scilicet, ut
nullâ ratione ab actu illo cessare possit.

V.
Quo sensu
dicitur ali-
qui Deum
amare se
liberè.

Deus spontaneè se amat, non liberè.

SECTIO